Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25944
Copyright: Admont, Benediktinerstift

et genus humani uxoribus iungi et filios procreare (tolerare). imitentur saltem pecudes. et postquam uenter uxoris intumuerit. non perdant filios. nec amatores se ostendant uxoribus sed maritos. Item.

xiii Quis ignoret sub alia. Virginalis castitas non prefertur coniugio abrahe.
dispensatione fidei omnes retro sanctos fuisse eiusdem meriti. cuius nunc christiani sunt. Quomodo autem abraham placuit in coniugio. sic nunc uirgines placent in castitate. Seruiuit ille legi et tempori suo. seruiamus et nos legi et tempori nostro. in quos fines seculorum deuenerunt. Item aug. de bono coniugali.

Sanctius est absque liberis defungi quam ex illicito concubitu stirpem querere.

xiiii Sicut sanctius est mori fame quam ydolothitis uesci. ita sanctius est defungi sine liberis. quam ex illicito concubitu stirpem querere. Vndecumque autem nascuntur homines. si parentum uitia non sectentur. et deum recte colant. honesti et salui erunt. Semen enim hominis ex qualicumque homine dei creatura est. et eo male utentibus male erit non ipsum aliquando malum erit. Item sermo s. ambrosii de s. iohe. qui sic incipit. Diximus superiori dominica. Ex ancilla filii non sunt querendi.

S. p. i. d. De filiis presbiterorum Non ordinandis. Nullus.
S. i. Q. iiii. Crimi.

xv Dicat aliquis. uxorem non habeo ideo me ancillam associaui. Audi quid scriptura dicat ad abraham. Eice ancillam et filium eius. Non enim heres erit filius ancille cum filio libere. Si ergo ancille filius heres non est. ergo nec filius est. Cur autem queritur tale coniugium. de quo suscepti filii nec successionis possint esse heredes nec sanguinis. Nec enim habere potest hereditatis consortium quem non habet originis priuilegium. Cur inquam queritur tale contubernium de quo nati filii non sunt testes matrimonii. sed adulterii. Cur homines suscipiunt adulterinos quos pater pudori sunt non honori. Dixit scriptura. Adulterorum filii i c. Mulier ergo tua si talibus moribus predita est ut mereatur consortium. mereatur et nomen uxoris. Ipsa concubine tue libertatem et nomen uxoris ne tu adulter sis potius quam maritus. Item augustinus ad claudium contra iulianum lib. vi.

S. c. q. iii. Non omnis.
S. p. i. d. L. vi. C. Sugg.
S. xxviii. Q. ii. Cap. iii.

Adulteria non sunt facienda uoluntate filios generandi.

xvi Sicut non sunt facienda adulteria etiam uoluntate filios generandi quemadmodum nec furta sunt facienda etiam uoluntate pascendi pauperes sanctos. quod tamen est faciendum non furta perpetrando. sed bene utendo mammona iniquitatis.

S. xiiii. Q. v. forte.

Ecce quod nullomodo licet alicui uiuente uxore sua ex ancilla uel ex alia qualibet filios querere qui etiam suscepti filiorum nomine